Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conciones à I. dominica I. adventus usque dominicam cinerum - Cod. Ettenheim-Münster 210

Arnold, Arbogast

[S.l.], um 1640

Beilage 1: Officia propria festorum diocesis Constantiensis

urn:nbn:de:bsz:31-118799

Visual Library

OFFICIA PROPRIA FESTORUM DIŒCESIS CONSTANTIENSIS.

FESTA NOVEMBRIS.

III. NOVEMBRIS.

Pro ſanctis Pirminio Epiſcopo, & Idda Vidua.

Lectio ix.

Pirminius Meldensis Episcopus liberalibꝫ artibus eruditus, pietatisq; studio flagrans monaſteria tredecim ædificavit, ſanctisque institutis communivit, quorum præcipuum fuit, quod Augiæ maioris dicitur. In Epiſcopatus autem munere vigilantiſsimus, nihil non egit, ut et verbo & exemplo Ecclesiæ commiſsæ prodeſset, qua ſancte administrata meritis cumulatus obdormivit in dn̄o tertio Nonas Novembris anno à Christi nativitate millesimo trigesimo quarto. In eandem diem incidit beata mors ſancta Iddæ Comitiſsæ, Henrici Comitis Togkenburgensis Vxoris, quæ cùm tota in ieiunio, lachrymis & precibus aſsiduus post diuturnam in Eremo vitam versaretur in pace tandem quievit. Cuius ſanctitatem DEUS miraculis testatam eſse voluit.

De S. Pirminio. Oratio. ....

Da.

Da, quæsumus Omnipotens DEUS. ut in com. confes. Pont. Deinde de S. Iddnwidia. Oratio.

Exaudi nos DEUS. ut in com. non Virginum.

VI. NOVEMBRIS.

Pro S. Leonhardo Confessore.

Lectio ix.

Leonhardus in Aquitania nobili loco natus, ſancti Remigij diſcipulus Clodouæo Regi usque adeo gratus & charus fuit, ut quos in custodia inclusos, pietatis causa uiſiſſet, eos Rex à uinculis liberaret. Aliquandiu in Monasterio Aurelianensi uixit: inde discedens omnem Aquitaniam peragrauit uerbi Dei prædicatione. Postea in ſiluam quandam, quæ a Lemouicensi urbe decem millia paſſuum aberat ſe abdidit, ubi ædificato à se Monasterio, cùm piè sanctèque uitam ageret multa etiam miracula edidit. Reginam Galliæ è partu ita laborantem, ut medicorum iudicio nulla uitæ eius spes eſſet precib[us] ſuis adiuuit. Alios duos mortuos ad uitam reuocauit; & alia præterea multa diuinè egit. Itaque miraculorum multitudine, & uitæ sanctiſsimæ nomine illustris quieuit in D[omi]no Octauo Idus Nouembris anno salutis humanæ quingentesimo quinquageſimo nono.

Pro comme: S. Leonhardi Confeſsoris, Antiphona. Euge ſerue bone. Oratio.

Deus qui nos. ut in com. confes. non Pontifi:

XVI. NOVEMBRIS.

In feſto S. Othmari Abbatis.

In primo Nocturno, de ſcriptura occu.

In 2do Nocturno.

Lectio iiij.

Othmarus Germanus genere, cum ſanctitatis & doctrinæ ſplendore floreret, multorum monachorum Abbas eligitur. Factus Abbas pro omnibus aliiſq rebus ad monaſterium pertinentibus ſuæ curæ commiſsis multis laboribus perfunctus clariſsima uigilantiæ, fidei, doctrinæ & diſciplinæ ueſtigia ad ſempiternam memoriam impreſsa reliquit. Pius, pudicus, humilis, charitatis plenus, manſuetus & mitis extitit. In oratione frequens, in diuinarum laudum officijs aſsiduus fuit. Ieiunio autem ita ſe exercuit ut ſæpe biduo atq; forte amplius ieiunans eſſet, in pauperes uero usque adeo benignus & liberalis, ut quandoq; ad eorum nuditatem tegendam, tunica, qua indutus incedebat, ſe exueret ulceroſis atq; elephantiacis, quorum cæteri uel aſpectum ipſum horrere ſolent, præcipua cura miniſtrabat. R. Iſte eſt qui &c.

Lectio v.

Interim ſempiterni humani generis hoſtes id grauiter ferentes, quod perpetuam ſaltem illam animi tranquillitatem atq; lætitiam quam in ſumma uitæ auſteritate obtinuerat, perturbarent. Vuarinum & Ruardhardum uiros

primarios qui tunc totius Alemaniæ curam administrabant, incitarunt; ut res Eccleſiarum, præcipuè ſancti Abbatis, ſibi ipſis per vim et metum usurparent ac vendicarent. Quod quidem facinus cùm beatus vir ad Pipinũ Regem detuliſset, iniquiſsimo animo id illi ferentes, usque eò in ipsum commoti ſunt, ut inſanire omnibus ac furere viderentur. Quare ex eo tempore ei insidias moliri nunquam destiterunt, hanc enim ob cauſam fratrem quendam subornarunt, Lambertum nomine, qui Othmarum innocentis vitæ virum incontinentiæ criminis accuſaret. Itaq; multis petitus insidijs, tandem nitentibus in primis ipſis contra Othmarum Vuarino atq; Ruardhardo eijcitur in exilium apud Rheni inſulam prope Stein oppidum ubi ſqualore & inedia, alijsq; calamitatibus & incommodis afflictus, brevi ab his mundanæ perturbationis angustijs ad cœlestis latitudinem gaudij decimo ſexto Calendas Decembris anno ſalutis humanæ ſeptingeſimo quinquageſimo octavo ſatis feliciter commigravit. Eius corpus in eadem Inſula tumulatum, aliquot deinceps diebus ibidem ſine corruptione permanſit. R. Amavit eum. &c.

Lectio vj.

Post multum verò temporis ſancti patris filij, Dei admonitu, ad locum in quo eius reliquiæ quieſcebant convolantes, corpus, mirum dictu

inte=

XXVI. NOVEMBRIS.

In Feſto ſancti Conradi Epiſcopi & Con-feſſoris, & Patroni Conſtantienſis Diœceſis.

Ad Veſperas, ut in com. Confeſ: Pont. Et non fit aliqua commemoratio. Oratio

Exaudi, quæſumus, domine preces noſtras. &c

In primo Nocturno, leguntur lectiones de Epiſtola beati pauli ad Timotheum. Fidelis ſermo. &c. ut in eodem communi.

In 2do Nocturno.

Lectio iiij.

Conradus Henrici illuſtriſſimi comitis Altorffij ex coniuge beata ſiue Hatta filius, ſeptennis Nothingo Conſtantienſi ſanctiſſimo Epiſcopo, à pijs parentibus religioſè educandus litterisq́ erudiendus traditur. Eo magiſtro uſus, cùm in ſcientiarum, tùm etiam in chriſtianæ perfectionis ſtudijs, mirabiles progreſſus habuit. Adoleſcens cùm magna ſanctitatis prudentiæq́ laude floreret, Conſtantienſis Eccleſiæ præpoſitus primùm creatur. Deindè Nothingo Conſtantienſi Epiſcopo mortuo in illius locum ob doctrinam & morum ſanctitatē eligitur. Quod munus ſancti Vdalrici Auguſtanæ præſulis rogatu, ac precibus uictus ſuſcepit, cùm diù recuſaſſet. ℞. Inueni David.

Lectio v.

IN Epiſcopatu totus orationi atq́ aſſiduis precibus, paſtoralibusq́ officijs addictus, cùm in ad

maximè incumberet, quod de Ecclesia sua bene gerenda animo conceperat id Dei auxilio assecutus est. Religionis causa ad Sepulchrum Dni, ter Hierosolymam peregrinatus est. Constantiæ plures Basilicas ædificavit, alteram Sancti Joannis nõie, alteram Sancti Pauli, tertiam Sancti Mauritÿ quas maximis muneribus auxit, eisque domos, & prædia attribuit. Canonicorum præterea numerum in Cathedrali Ecclia augere placuit. Xenodochiũ ad pauperum usum construxit. ℟. Posui &c.

Lectio. vj

His itaque & aliÿs pie prudenterq factis, (quippe qui nihil omiserit, quod beatus Apostolus Paulus Episcopo præscripsit.) cum Spiritu prophetico prædixisset, fore ut beatus Gebhardq tunc puer, sibi in Episcopatu post Gaminolphũ succederet Ecclesia Constantiensi quadraginta duobus annis sanctè administrata, propagatæ religionis, virtutum Episcopalium laude clarus, multisque meritis cumulatus, obdormivit in dño, sexto Calendas Decembris, Anno salutis humanæ nongentesimo septuagesimo sexto. Cuius Corpus in Ecclia Sancti Mauritÿ à se extructa sepulturæ datum est. Ipse clarus miraculis à Calixto Pontifice Maximo nominis istius secundo, quinto Calendas Aprilis in Sanctorum numerum relatus est. ℟. Iste est:

In 3tio Nocturno, Homilia in Euangeliũ Vigilate. &c. ut in eodem communi.

IIII. DECEMBRIS.

In Festo S. Barbaræ Virginis & Mart.

Ad Matutinum, et Laudes. omnia ut in communi Virginum.

In primo Nocturno, de Scriptura occ:

In 2do Nocturno.

Lectio iiij.

Barbara Virgo, Dioscoro patre impio homine nata, eius plane dissimilis, ab ineunte ætate salutis appetens, in diuinarum rerum contemplatione assidue versabatur. Cum autem aliquando de fide, sermone diuinitus habito, patrem ad illam cohortaretur: filiæ oratione ille commotus, in eam stricto gladio impetum fecit. R. Propter veritatem. &c.

Lectio V.

E quo periculo mirabiliter Virgo liberata, in carcerem post inclusa, non blanditijs, nec minis patris ac Judicis, à fidei proposito deterretur. Cuius virginis constantia exulceratus Judex, illam grauissime cædi iubet; sed plagis illis nocte ope diuina sanatis, postero die, prima luce ad Judicem iterum ducitur, in cuius corpore nullum apparet verberum signum. Eam vero curationem cum Judex impuris Idolis adscriberet, tum illa non à falsis dijs, sed à Christo id præstari posse ostendit.

R. Dilexisti iustitiam. &c.

Lectio vj.

Quamobrem iratior Judex factus, ferreis unguibus illam dilaniari, accensis facibus aduri, alijsq; gravissimis cruciatibus torqueri imperat. Quibus, tormentis affecta Virgo, demum ab impio patre securi percussa, multis virtutibus & miraculorum gloria insignis, ad duplicatum Virginitatis & Martyrij praemium, migravit in coelum pridie Nonas Decembris.

R. Offerentur Regi &c.

In 3tio Nocturno, Homilia in Euang:
Simile est regnum coelorum decem Virginib.
ut in communi Virginum.

XXIII. IANVARII.

In Festo S. Meinradi Martyris.

Ad Matutinum, & ad Laudes, omnia de communi unius Martyris.

In primo Nocturno de Scriptura.

In 2do Nocturno.

Lectio iiij.

Meinradus in Alemania, Carolo magno Imperatore, nobili genere natus, a prima aetate Erlebaldo Monacho eius propinquo, eximiae sanctitatis viro, qui in monasterio Augiae maioris nuncupato, morabatur litteris instituendus moribusq; imbuendus traditur. Ubi cum cursum fecit ad omnem doctrinam & morum excellentiam, ut cum quintum & vigesimum aetatis annum attigisset, ad diaconatus officium, & non multo post ad Presbyterij gradum promotus fuisse legatur.